



**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Difficultatis 3. Quid de reliquis infinitum concernentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

PROBATUR tertio. Designet Deus, omnibus diebus per æternitatem futuris, unum Angelum, ita, ut nullus sit dies, qui sibi correspondentem Angelum non habeat, & nullus Angelus, qui non habeat correspondentem sibi diem, quo posito; illi Angeli, & essent infiniti, ut supponitur; & non essent infiniti, ut probatur. Si enim essent infiniti; mutet Deus designationem, & eos Angelos, quos assignaverat diebus, assignet horis, vel illi Angeli sufficient, ut singulis horis, distincti assignari possint, vel non sufficient: si sufficient, Ergo cum tot supponantur Angeli esse, quot dies æternitatis, tot erunt horæ æternitatis, quot & dies, quod falsum est; si autem non sufficiunt Angeli, ut singulis horis æternitatis distinctus Angelus tribuatur. Ergo illi Angeli non sunt infiniti; quia multitudo illorum interciperetur duobus terminis; primo hoc est Angelo, qui primæ horæ assignaretur. Et ultimo, scilicet illâ horâ, quæ adhuc haberet suum Angelum, & reliquæ horæ, post illam sequentes, suum Angelum non haberent.

RESPONDET primò Ovid. horis interruptè & interpolatè acceptis, posse Deum, per totam æternitatem, distinctos Angelos assignare, sed non posse continuatè, & fluenter acceptis, computando unam, post aliam sequentem; & ita v. g. non potest primæ, secundæ, tertiæ horæ assignare suum Angelum distinctum, potest tamen assignare primæ, & postea v. g. decimæ, ita ut totâ æternitate, per diversas horas interpolatas, assignare possit suum Angelum.

CONTRA. Tum quia, vel tantum horis interpolatis, vel etiam diebus non nisi interpolatis, potest Deus assignare alium singulatim Angelum; si primum, non satisfiet argumento factò; quia dicere, quod horis non nisi interpolatis, per totam æternitatem, assignare possit Deus, distinctum Angelum, est dicere, Deum non posse singulis horis assignare Angelum; redibitque argumentum factum; Si autem dicatur secundum; hoc ipsum probandum veniret, reassumique poterit argumentum factum. Quod scilicet deberet illud infinitum claudi terminis: deberet esse unum majus altero, &c. Tum quia, vel pluribus horis, quam sint dies æternitatis, assignabuntur dicti Angeli, vel non pluribus, sed æqualibus; si pluribus, unde illud incrementum, cum supponantur non superfuisse Angeli plures, diebus æternitatis; si non pluribus. Ergo non respondes ad suppositionem argumenti, quod à diebus, ad horas, quæ sunt plures diebus, procedit. Tum quia, quod est verè infinitum, in quacunque suppositione, exhaustiri non potest, assignatione, vel acceptibilitate, si illa intra duos terminos consistat: termini enim finitudinem notant. Ergo si illud infinitum Angelorum, est verè infinitum, per horas non interruptè acceptas, interceptas tamen, inter pri-

mam & ultimam exhaustiri non posset, consequenter deberent sufficere Angeli dandi, horis totius æternitatis, non interpolatè acceptis: ubi enim deficeret dabilitas, illic esset terminus, adeoque finitudo. Tum quia, quamvis horis successive acceptis, non possit etiam successive Deus tribuere singulos annulos: non enim posset successive illam infinitatem pertransire, potest tamen simul, sicut simul illa cognoscit, & successive, non posset cognoscendo pertransire. Redit ergo Argumentum: an possit simul, sicut diebus, ita & horis, assignare singulos Angelos, idque ut dico simul.

RESPONDETUR secundò, retorquendo argumentum, & querendo; an positus omnibus possibilibus Angelis, qui assignarentur singulis diebus æternitatis, possent adhuc mutata designatione, assignari singulis horis.

CONTRA: Quia non est possibile, ut omnes Angeli ponantur: & erunt enim omnes possibile Angeli positi, ut supponitur, & non erunt: quia illis positus, vel implicabunt alii Angeli, vel non implicabunt. Si non implicabunt, Ergo non omnes sunt positi; Si implicabunt, Ergo contradictori erunt hi termini: Substantia Spiritus completa. Recolantur in simili, dicta supra, ex quibus, hoc etiam deduci potest, Quod Deus singulis horis æternitatis, singulos dies assignare possit. Quod sic proponitur. Suppono dies æternitatis omnes, simul non posse poni, à parte rei: Suppono secundò, illos à Deo cognoscis ita ut dicat: Nullus est dies, quem non cognosco, ita tamen illos cognosco, ut videam illos, nunquam finiri posse. Suppono tertio, Deum in assignatione dierum æternitatis, ad horas æternitatis, ita se habere, ut dicat, & hæc hora, & illa hora, habet suum diem proprium, ita tamen ut nunquam dierum, & horarum sit infinitudo terminata: sed sicut sunt dies infinitus infiniti, ita & hora, ita ut radix assignabilitatis, non sit multitudo horarum, major præ diebus in unaquaque die; indubiè enim plures sunt horæ, quam dies: Sed radix ista est Dei omnipotentia, & non implicantia contradictionis in essentia dierum. Jam autem assignabilitas Angelorum, ad dies æternitatis, non est, non implicantia contradictionis Angelorum, sed esse actuale à parte rei. Hinc etiam Angeli, secundum non implicantiam contradictionis spectati, tam diebus, quam horis æternitatis, assignari possent.

Punctum Difficultatis 3.

Quid de reliquis infinitum concernentibus?
DESCENDUM est primò. *Non est possibile infinitum in intensione.*

PROBATUR argumentum antè propositum. Creet Deus infinitos gradus caloris, tot quot sunt infiniti homines: vel potest Deus singulis illorum, 100. gradus assignare, vel non potest? Si

non potest: Ergo exhauriretur infinitum; Si potest, Ergo sunt plures infinito hominum. Modum defendendi hoc argumentum, vide supra positum.

RESPONDERI posset huic argumento, & quibuscunque aliis hactenus positis. Quod infinitum non implicet quidem contradictionem; demere tamen ex ipso aliquid, implicat contradictionem: & ita si accipiatur aliquid ex linea infinite extensa, sequitur illam terminandam &c. si autem consideretur infinitum secundum se, nulla saltem in plerisque ostendi potest implicancia.

CONTRA erit: quia expresse Aristotelica definitio, permittit ipsam acceptionem: unde in definitione dicitur, cujus secundum quantitatem accipientibus, &c. &c. hinc negare istam acceptionem, est non stare in statu questionis. Ceterum posito, quod nova alia definitio infiniti formaretur, posset ex illa non sequi implicancia contradictionis.

DICENDUM est secundò. *Etiā posito, quod possibile esset infinitum creatum, adhuc impossibile esset poni omne possibile infinitum.*

PROBATUR primò. Posito omni possibili infinito, vel ponerentur omnes posibles finitæ creaturæ, vel non ponerentur? Si non ponerentur? Ergo & esset illud omne possibile infinitum, ut supponitur & non esset: quia adhuc producibile esset, præter producta infinita, aliquid infinitum, quia omne producibile infinitum, est infinities infinitum. Hinc productis finitis, quæ remanent producibilia, post productionem omnis possibile infiniti, sed infinities positus, consurgeret adhuc novum infinitum. Neq; enim v.g. infinitum multitudinis, est aliud, quam finitum infinities positum. Si autem posito omni possibili infinito, ponerentur omnes posibles finitæ etiam creaturæ: Ergo jam Deus non maneret omnipotens, quia nihil maneret producibile: nam omnipotentia Dei transcendentaliter requirit effectus.

RESPONDEBIS primò cum P. VENCESLAO DAROVSKI, meo in Theologia Professore, Viro omnium talentorum. Infinita persona Patris, non ita exhaurit terminabilitatem naturæ Divinæ infinitam, ut quamvis illam infinite terminet, adhuc illam non relinquat ulterius terminabilem per aliam personam infinitam, tam Filii, quam Spiritus Sancti. Rursus infinita Persona verbi, terminans naturam Divinam, non exhauritur, quominus possit terminare aliam naturam creatam, & alias plures: Scientia item Divina non exhauritur, quamvis cognoscat omne possibile; & sicut omniscientia in actum reducta, non facit Deum, non esse Deum, ita nec faciet omnipotentia in actum reducta.

CONTRA: Tum quia, ab instantia, ex adlaris prima, desumi potest, pro conclusione argumentum. Tres Personæ Divinæ, infinitam termina-

bilitàtem naturæ Divinæ ita exhauriunt, ut à quarta Persona terminabilis non sit, nisi per solam chimæram, & fictionem intellectus. Ergo etiam omne producibile infinitum in actu positum, ita exhauriet omnipotentiam infinitam, ut ulterius nihil producere possit: Quod autem Persona Patris, non reddat ulterius interminabilem naturam Divinam, secundum se spectatam, hoc inde est: quia terminativitas Personæ Patris, non est omnis possibile terminativitas Divina; Jam autem omne possibile infinitum, cum sit omnis possibile terminus omnipotentie Divinæ, fit, ut exhauriat omnipotentiam Divinam. Tum quia: ex secunda instantia potest pro conclusione formari argumentum. Persona verbi infinite terminans naturam Divinam, ita illam terminat, ut omnem suam terminativitatem infinitam, quam præstare potest, exhauriat; neq; enim aliam naturam Divinam, vel aliam creatam infinitam (utramq; enim suppono impossibilem) terminare potest; & tamen, hoc non obstante, potest terminare naturam finitam creatam. Ergo etiam omnipotentia, post productum omne possibile infinitum, poterit producere aliqua finita, redibitq; argumentum superius factum. Addo, non esse ullum inconveniens, infinitam terminabilitatem naturæ Divinæ, exhauriri per terminativitatem trium Divinarum Personarum, si autem exhauriretur omnipotentia Divina, ita, ut ulterius nihil posset facere, magnū foret inconveniens: nam imprimis non potest dici propriè exhauriri, terminativitas Naturæ Divinæ, cum tres personæ, quamvis inter se distinctæ, sunt tamen identificatæ cum natura: idē autē propriè non dicitur exhauriri à seipso; jam autem, si exhauriretur omnipotentia Divina, exhauriretur ab aliquo à se distincto realiter, nempe à productis creaturis, adeoque exhauriretur propriè. Rursus, prius illud exhauriri contingeret, per aliquid æquale, nempe per personas Divinas, infinitum autem exhauriri à mensura infinita nihil vetat: exhauriri autem, omnipotentia per creaturas contingeret, per aliquid inæquale: quia non exhauriretur per aliquid esse Divinum. Deinde, id quod se habet per modum termini, non dicitur exhauriri propriè; hinc, etiam si per impossibile, omnes finitas & infinitas terminaret cognitiones, objectum aliquid, non inde jam non cognoscibile foret: neq; enim inde jam entitatem suam perderet, cujus necessaria passio est, esse verum, adeoque cognoscibile; sed omnipotentia cum se non habeat per modum termini, sed potius potentiaæ effectivæ, verè & propriè per creaturas exhausta, diceretur. Deniq; non est ullum absurdum, quod infinita terminabilitas naturæ Divinæ, exhauriatur ab infinita Divina terminativitate, Tripersonalitatis ejus debitæ, immo est perfectio Dei necessaria, salvans unitritinitatem ejusdem, unde etiam est perfectio ejus actu possessa, jam autem exhaustio

haustio omnipotentia, non est perfectio Dei, sed esset defectio perfectionis Divinae. Tum quia: illud quod dicitur de exhaustionem Divinae scientiae, pro nobis est. Dico enim exauriri scientiam Divinam in hoc sensu, quia nihil est cognoscibile, quod non cognoscat, & ultra hæc, non se extendit, sed hæc perfectio est potius Dei: quia scilicet perfectio Dei est, non esse nescientem, quam perfectionem adfert illa exhaustio; & si hanc non haberet exhaustionem, nesciens esset: ergo etiam à possibilitate creaturarum, exauritur omnipotentia Divina, neque enim ultra possibilia aliquid potest, cum hoc tamen addito, quod hæc omniscientia Divina exhaustio sit perfectio Dei, quia nisi nosset omnia possibilia, omniscius non esset; sed exhaustio omnipotentia, quæ fieret per omne possibile productum, est exhaustio, quæ adfert negationem omnipotentia, ejusque destructionem, quid enim illa omnipotentia posset? Et certe non aliunde Deus habet non esse nescientis, nisi ab actuali omniscientia; rationem autem omnipotentiam aliunde habet.

RESPONDEBIS secundò. Habere actum adequatum, est perfectio potentia, & ita si oculus eliceret visionem adequatam, intellectus item cognitionem adequatam; maxima hæc esset perfectio oculi, & intellectus; consequenter erit perfectio omnipotentia, habere actum adequatum, stantem in productione omnium possibilem.

CONTRA. Quia actus adequatus, stans cum esse potentia, est perfectio potentia; sed actus adequatus, destruens esse potentia, non est perfectio potentia; hoc autem in presenti contineretur.

RESPONDET tertio Vasquez. Posito omni possibili infinito, & omni producibili; adhuc Deus posset illa conservare, ad operationes concurrere, & similia.

CONTRA. Quia hæc Responsio contradictorios terminos continet; & esset enim omne possibile producibile productum, & non esset; esset, ut supponitur in negatione, conclusionis, non esset autem, quia adhuc operationes produci posset, & conservatio infiniti, quæ omnia veniunt inter producibilitatem, omnis possibilis, tam finiti quam infiniti.

PROBATUR secundò. Si Deus produceret omne possibile infinitum, & produceret omne possibile infinitum, ut supponitur, & non produceret: quia non produceret omne potentia infinitum, quod etiam est inter producibilia; quod autem non produceret omne potentia infinitum, per hoc probatur: quia infinitum in potentia est, infinitum essentialiter; exigens esse in potentia. Ergo produci actu non posset. Ergo apparet in illo omni producibili, non posse produci omnia.

RESPONDEBIS. Sufficit quod producat Deus

omne producibile infinitum categorematicum.

CONTRA. Quia conclusio attendit ad producibilitatem etiam finitorum, modò sint illa contenta, in numero possibilem: negat enim conclusio, posse produci omne possibile.

PROBATUR tertio. Instantiis variis, quæ ostendunt, non posse produci omne producibile, & ita, non potest produci æternitas à parte post, quantitatis divisibilitas in infinitum, &c. &c.

DICENDUM est tertio. *Etiam posita possibilitate infiniti, non est necessarius, nec possibilis numerus maximus finitorum.*

PROBATUR primò. Quòd non sit necessarius maximus finitorum. Quia ad hoc, ut transeat à numero finito ad infinitum, non est necesse, tanquam per medium transire; per numerum maximum finitorum. Ergo posset esse infinitum, sine positione numeri maximi finitorum. Antecedens probatur, quia esse infinitum, non est post numeros finitos, aliquorum numerorum infinitantum, inchoatio: sed est tantum numerorum semper finitorum, sine fine aggregatio. Ergo ad hoc, ut à finito ad infinitum transeat, non est necesse, tanquam per medium, transire per numerum maximum finitorum.

PROBATUR secundò. Posito numero maximo finitorum, vel potest Deus ponere infinitum, vel non potest? Si non potest? Ergo non est necessarius numerus maximus finitorum, ad positionem infiniti, quod tamen tu vis; Si autem potest Deus ponere infinitum, quæro, an ponendo jam infinitum, debeat adhuc ponere alium numerum maximum finitorum, an non debet? Si debet? Ergo prior ille non erit necessarius ad infinitum. Ergo & hic posterior, de illo enim redibit eadem, quæ de priori quæstio; Si autem non erit necesse ponere, Ergo quamvis ille, qui supponitur productus numerus maximus finitorum non poneretur, modò poneretur illa ipsa infinitudo, sequeretur infinitudo. Ergo ulterius non est necessarius ille maximus numerus finitus ad infinitationem. Quòd si dicas, non posse Deum ponere numerum illum infinitum, nisi ex suppositione positionis numeri maximi finitorum, da in hoc ipso implicantia.

PROBATUR tertio. Quòd numerus finitorum maximus sit impossibilis. Quia & erit ille numerus maximus finitorum, ut supponitur, & non erit maximus finitorum: quia si Deus post numerum maximum finitorum, potest producere v. g. infinitos homines, potest & unum, quem ipsum addendo, augebit numerum maximum finitorum, consequenter ille prior non erat maximus finitorum.

Addit recentior Suar: Ponamus numerum maximum finitorum, secundum eum, numeretur aliud numerabile, rursus secundum eundem numerum maximum finitorum, numeretur aliud numerabile; en tibi erunt duo numeri maximi finitorum: conjungantur illa nume-

numerata simul, non facient unum infinitum; quia infinitum non stat duobus solis finitis. Ergo faciunt numerum finitorum, majorem, maximo finitorum.

DIFFICULTAS III.

Fundamenta in Oppositum.

OBJICITUR primò varia auctoritas.

PRIMA est Aristotelis, qui cum tenuerit mundum creatum esse ab æterno, generationesq; fuisse ab æterno, hoc ipso admisit infinitum categorematicum.

SECUNDA auctoritas est Dionysii cap. 8. de Divinis nominibus.

TERTIA Aug. ad Volusianum.

RESPONDETUR. Aristotelem errantem favore oppositis: erroneè enim admisit mundi æternitatem. Sed oppositum docet, statq; pro nobis tertii Physic. T. 67. unde non docuit dari infinitas factas generationes ab æterno, sed tantum hoc sequitur, deduciturq; ab oppositis, ex suppositione erroris. Secunda auctoritas non aliud vult, quam Divinam omnipotentiam, extendi posse ad creaturas in infinitum producendas, nec terminari unquam numerum producibilium. Tertia autem solum adstruit possibilitatem Incarnationis, licet eam clare explicare non possimus, ita ut debeamus tandem dicere, quod concedendum sit, Deum aliquid posse, quod nos explicare non possumus; sed inde non sequitur, quod debeamus concedere, ea posse Deum facere, quorum implicantiæ convincunt.

OBJICITUR secundò à pari.

PRIMA paritas est. Si daretur luminosum infinitum, produceret lumen infinitum, itemque si daretur ignis infinitus, produceret infinitum calorem. Ergo & Deus, poterit producere infinitam lucem, neq; enim est minus potens, quam lux infinita.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia posito per impossibile luminoso infinito, hoc ipso ponitur vis necessaria, ad actualem infinitam lucem; Divinà autem potentiā positā, non ponitur potentia ad actuale infinitum, quia in Deo non datur potentia ad impossibile. Illa autem propositio: Deus non est minus potens, quam lux infinita, est propositio falsa, quia est de subiecto non supponente: nulla enim datur lux infinita.

SECUNDA paritas est. Si Deus ab æterno produxisset Angelos, ita ut singulis momentis, singuli producerentur ad hodiernum diem, fuissent infiniti. Ergo etiam & nunc posset producere infinitos Angelos.

RESPONDETUR ex dictis, in materia de creatione habetur, quod ab æterno, successivè tamen, non potuerint produci Angeli.

TERTIA paritas. Scientia Dei respicit objectum infinitum, itemq; immensitas. Ergo & omnipotentia.

RESPONDETUR, quo sensu verum est antecedens, eo sensu & consequens: nempe, quod ista omnia terminentur ad infinitum syncategorematicè.

QUARTA paritas. Potentia finita potest facere finita in infinitum, v. g. intellectus potest elicere cognitiones finitas in infinitum. Ergo & potentia simpliciter infinita, potest facere simpliciter infinitum: aliàs non esset distinctio, inter potentiam finitam & infinitam.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia argumentum multum probat: probat enim, quod intellectus Divinus, etiam non cognoscibile, debeat noscere, ut ita distinguatur ab intellectu creato, habente pro objecto omne cognoscibile. Sicut ergo ad distinctionem ab intellectu creato, sufficit modus cognoscendi nobilior, cum latitudine cognoscendi actuali majori, incomparabiliterq; digniori: sic & potentia Divina, sufficienter distinguetur, per modum agendi nobiliorem, & incomparabiliter latentiorem.

QUINTA paritas est. Si Deus ex necessitate ageret, produxisset infinitum. Ergo etiam multo magis libere agens, poterit producere infinitum.

RESPONDETI posset primò. Casu quo Deus ageret ex necessitate, ageret non quidem infinitum, quia hoc est impossibile, sed acturum longè plus, quam nunc, nec pro sua libertate destitutum fuisse ab agendo. Sic v. g. ignis, est causa necessaria, & tamen vi hujus prædicati, non producit omnem effectum, quem potest producere, sed tota ejus necessitas sita est, non nisi per ordinem ad hoc, quia positus prærequisitis non habet indifferentiam ad agendum.

INSTABIS primò. In casu suppositionis, non esset ratio, cur & plus, & plus, non produceret Deus, nec haberet, à quo determinaretur: Ergo cum plus, & plus, posset sine fine, omnia produceret. Ergo produceret infinita.

RESPONDETUR. Determinandum tunc Deum ab ipsa impossibilitate infiniti, semperq; plus, & plus ageret, nunquam tamen infinitum.

INSTABIS secundò. Quod ignis non agat plus & plus, adeoq; non producat infinitum, exinde hoc oritur; quia non habet omnia prærequisita ad agendum, quorum defectus determinat, ne plura agat.

RESPONDETUR. Sicut defectus prærequisitorum, determinat, ne plura agat ita impossibilitas infiniti determinat, ne producat infinitum.

INSTABIS tertio. Deus omnia potest, & hæc omnia deberet agere, si necessario ageret, tunc quæro; suntne illa finita, an infinita? Si finita, Ergo possibilia, sunt finita; Si infinita, Ergo cum casu illo omnia agat, quæ potest agere, produceret infinita.

RESPON-